

LETTERA CRITICA EPISTOLA CRITICA

DI FU MONSIGNOR N. N.

In risposta ad un suo Amico Padovano, il quale gli avea inviato il soprascritto Epitafio, con ricercare la di lui opinione.

ILLUSTRISSIMO SIGNORE.

NON posso persuadermi, che l'Iscrizione, trasmessami da V. S. Illustrissima, sia già posta in pubblico, perchè non ne farei parola. Già si sa, che la lingua Latina, nata in questa Città, oggi giorno è passata in Padova; e perciò non mi persuado, che questo sia altro, che un'abbozzo inviati da lei, affine di sentire il mio parere. Dio sa per qual fine. Veramente qui è restato poco gusto di buona lingua: pure in questo genere non si pone niente in pubblico, che non sia degno della posterità. Abbiamo una, o due persone, che intendono la materia, e tutto passa sotto la critica. Anche nostro Signore sopra di ciò ha dell'ispezione particolare, per non fare torto ai molti buoni monumenti, che tut'ora ci restano de' secoli passati. Le dirò dunque in universale, che questa sua Iscrizione non ha alcun sapore d'un tal genere di composizioni, e questo credo sia il maggior difetto, sebbene è più difficile da spiegarsi in una lettera. In particolare cominciando dalla prima linea, questa doveva essere la duodecima; ma doveva formarsi così: In suum, suorumque Sepulchrum; Poiché la voce Tumulus non è propria d'un sepolcro familiare, ma si dice d'una persona sola: di che non sa d'uso, che lo rechi esempj, e ella ha appreso di sé qualche libro d'Iscrizioni, come n'avrà certamente. Si dee dir dunque o sepulchrum, o monumentum. Anche la parola familiaris è impropria, poiché così usata senz'aggiunto, comunemente parlando, significa il sepolcro della gente di casa, non del Padrone.

La seconda, e terza linea contengono il nome, e la patria del defunto; ma non so, perchè non sia apposto il nome del Padre, come s'è fatto al Papafava. Quest'omissione potrebbe dar motivo a qualche riflessione non troppo onorevole.

La quarta, ed è encomiastica, esprime una lode, che non si può dire titolo res digna sepulchri. E le voci morum suavitare si troveranno forse qualche volta in Iscrizioni sepolcrali, ma solamente di ragazzi.

Anche la voce prestantissimus della quinta linea meriterebbe le sue riflessioni, se si volesse esaminare, quanto bene sia congiunta col morum suavitare.

Nella sesta linea sono gli anni dell'età, e le cattede della morte; nè io so, mai più d'aver veduta questa ridicola congiunzione. Il mese, quando voleva esprimersi, andava congiunto con l'epoca, che sta in fine.

L'ottava è così mal concia, che non saprei, che dirle. Primariamente non s'intende, di chi precisamente sia il figlio, e la figlia, e di più può anche

OLIM EPISCOPI N. N.

Rescribentis Amico suo Patavino, qui supra scriptum Epitaphium ad eum miserat, ejus rogando sententiam.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Nanimum inducere non possum, ut credam, missam abs te, Illustrissime Domine, ad me Inscriptionem in publico jam versari; alias enim tacitus eam præterirem. Equidem comita, latinam linguam, hac in Urbe natam, Patavium nostris temporibus commigrasse; ideoque persuasum mihi est, id aliud nihil esse, quam Rudimentum quoddam a te mihi expositum, ut de eo quid ego sentiam cognoscas; qua vero intentione, Deus scit. Hic, ut verum fatear, parum nobis in puritate sermonis superavit studij: publici tamen juris hoc in genere nihil fit, quod posteritate non sit dignum. Sunt nobis, qui rem probe callent, unus, aut alter, ac de omnibus accurate cognoscitur. N. quoque D. præcipuum hujus rei curam habet, ne qua plurima, quæ nobis adhuc sunt reliqua, optima præteritorum temporum monumenta afficiantur injuria. Dicam itaque univèrse, hoc tuum Elogium nihil plane sapere id genus studiorum; hocque maximum esse illius vitium censeo, etiam una epistola difficillimum explicatu. Speciatim vero a prima exordiendo linea, hanc esse duodecimam sufficiendam, sic tamen reformatam: In suum, suorumque Sepulchrum; etenim vox Tumulus familiaris sepulcro non est propria, sed de uno tantum homine dicitur; cujus rei me tibi afferre exempla non est opus, siquis tibi adstet Inscriptionum liber, qui procul dubio minime deerit. Dici ergo debet vel sepulchrum, vel monumentum. Familie quoque nomen non est idoneum; sic enim absque additione usurpatum, communiter loquendo Domesticorum sepulchrum significat, non autem Heri.

Alteram, ac tertiam lineam Defuncti nomen, patriamque continent; sed cur Patris nomen illi non fuerit adiectum, quemadmodum Papafava, me præterit. Alicui haud satis honorificæ commentationi occasionem ejusmodi posset omisso præbere.

Quarta quæ encomiastica est laudem exprimit, quæ dici nequit titulo res digna sepulchri: voceque morum suavitare in sepulchralibus forsitan quandoque offenditur inscriptionibus, ac puerorum dumtaxat.

Vox quoque prestantissimus quintæ lineæ suis digna foret animadversionibus, si examinare libere, quam apte cum morum suavitare jungatur.

In sexta linea notantur ætatis anni, obitusque Kalendæ; nec memini me vidisse unquam ridiculam hujusmodi conjunctionem. Mensis, si eum indicare placuisset, cum Epocha, quæ postremum tenet locum, erat copulanda.

Octava adeo est perturbata, ut quid dicam ignorem. In primis obscurum est, cujus præcise sit filius, ac filia; & insuper videri potest fra-

che parere, ch' un fratello sia maritato con la propria sorella. A quest'ambiguità s'aggiunge l'improprietà della voce affinitas, la quale non può usarsi per vincolo matrimoniale, che è causa, e principio d'affinità. Sono tanto noti i gradi dell'affinità presso tutti gli scrittori d'ogni genere, ch'è superfluo il dirle di più; sapendo ognuno, benchè principiante nella lingua latina, e nelle scienze, che tal parola affinitas non può applicarsi alla congiunzione del matrimonio nè conforme le regole della grammatica, nè conforme le definizioni della legge e civile, e canonica. Aggiungerò solamente, che se questi due matrimoniati fossero stati affini, non avrebbero potuto certamente abitar insieme. E quando anche si volesse passar tutto, può essere, che quest'espressione non volesse esser ricevuta in alcun monumento di Chiesa.

Ma io vò troppo a lungo, e passo i termini della lettera. Fò dunque un salto all'ultima linea, dove si contiene l'era a Christo nato. Quando si voleva con questi termini segnare il preciso punto dell'anno corrente, bisognava aggiugnere quatt'anni di più per lo meno; ma il buon autore di questa diceria non ha pensat'altro, ch'è a significare l'era di Christo, o sia volgare, come la chiamiamo. Era d'uopo però, ch'egli unisse termini più propri, come sono: anno Christi: anno reparationis: anno ree vulgaris, o simili, come s'usano da critici, e da tutti i buoni scrittori, che fanno il significato delle parole, ed i termini cronologici. Torno a supplicarla, come mi pare d'aver fatto a principio, a tener appresso di se questi miei scrupoli, quando per avventura l'Iscrizione fosse già espasta, e non ammettesse rimedio. In caso diverso faccia com'ella vorrà proprio, mentre io non penso ad altro, che ad essere

ter uxorem duxisse sororem propriam. Ad hanc ambiguitatem accedit vocis affinitas ineptitudo, quæ usurpari nequit pro conjugali federe, quod affinitatis causa est, atque principium. Penes Scriptores omnes cujusvis generis affinitatis gradus tam noti sunt, ut hac de re nihil sit, quod plura verba faciam; cum neminem lateat etiam in latini sermonis, scientiarumque rudem, verbum illud affinitas matrimoniali vinculo aptari non posse, sive Grammaticæ regulas spectas, sive Juris definitiones tam Canonici, quam Civiles. Hoc unum addam, si duo hi conjuges fuissent affines, nefas citra dubium illis fuisse eodem uridomilio. Quod si etiam præterite omnia vellemus, fieri posset, ut istiusmodi enuciandi ratio in ullum Ecclesiæ monumentum recipi nonlet.

Sed ego nimis longus sum, atque epistolæ fines excedo. Ad lineam igitur extremam transilio, quæ Era a Christo nato continetur. Si verentis anni certum hisce vocabulis punctam designare in animo erat, quatuor superaddendum ad minus anni oportebat; veram simplex ineptia hujus locutionis Auctori alio non intendit, nisi ad Christi Æram, Vulgarem scilicet, ut vocant, significandam. Aptiores tamen illi opus erat dictiones componere, puta anno Christi: anno reparationis: anno are vulgaris, aut similes, quibus utuntur Critices periti, omnesque optima notæ Scriptores, qui verborum vim assequuntur, & Cronologica vocabula sciunt. Te iterum etiam, atque etiam rogo, quemadmodum initio fecisse mihi videor, ut hosce meos scrupulos tu mecum tacitos habeas, si forte jam in propatulo foret Inscriptio, nec ullum remedium admitteret. Re aliter se habente, utere, quo pacto decere noveris, id unum me interim curaturo, ut tuus sim.

Roma 1736.

Roma 1736.

APOLOGIA LATINA
DEL SIG. ANTONIO ARRIGHI,

Indirizzata in forma di lettera al Sig. Canonico Ferri suo Mecenate, nella quale si difende contro la soprascritta lettera critica, che questo Canonico gli avea comunicata.

Quod nudius tertius ad me misisti litterarum exemplum, & statim legi, & cupidissime. Rumor enim quidam ad me antea pervererat, eas & satis elegantes esse, & severe scriptas, judicii que, atque ingenii litas pluribus luminibus; mites præterea, mirique homine dignas. Nihil mihi visum est, vel inelegantius, vel indocius; nihilque his annis ego legi, in quo putem, verendum, ac modestum magis desiderari. Quod cupere videris, ut si qua habeam, quibus crimina refellam, ea ad te scribam, omnino id faciam; brevique dabo operam, ut intelligas, proccacem esse hominem, ac rerum imperitum, qui eas litteras perscripserit. Tu hoc velim mihi des, illudque patiari, ut in refellendo rustico reprehensore tecum saepe colloquar, sapius cum eo. Nihil est his litteris, quod non doli plenum,

aut inscitia sit. Fraus per ipsa initia apparet. Conflata urbs; Roma mittuntur. Hoc fere fit ab his hominibus, qui siquid edere, siquid de se velint manare in vulgus, ut invidiam vitent, vel calumniam religionis, oppida, atque urbes, & ora quadam hominum, ac nomina comminiscuntur. Pilla, ac larva istiusmodi latere volunt. Romæ natas, atque latinas litteras, principio prædicat. Hui tam recondita continuo! Sublati mox sarcinulis Patavium commigrasse, ibique nunc fortunaram, ac domicilii sedem habere. Divinum hominem, qui hæc sciat, & nota faciat! Memoria posteris prodatur.

Venit deinde ad rem ipsam. Non putat, de inscriptione ea esse, quæ sunt. Umbras rei quædam arbitratur, non perfectam rem, & abolitam. Disceptat igitur, ac judicium fert. Idque

ut rectum cunctis videatur, hæc primum jacit: vix unum, aut alterum esse in urbe, qui scripturam istiusmodi artem teneat. Horum tamen iudicio probe omnia fieri, nihilque hoc genere tradi posteris, quod veteri memoria, urbisque majestatem dignum non sit. Hoc itaque quasi vallo se munit. Deinde univèrse primum; singula mox singillatim expendit.

Rejicit genus univèrsum. Non sapere lapidem pronuntiat. In hoc est. Quasi magister quidam ludi putat, se in ludo agere cum puero. Sed heus tu, inquam ego, tua ne dumtaxat, an Duumvirum etiam illorum Sententia? Tacet. Quibus sit legibus id iudicii? Omnino silet. At ego te jubeo hinc facere de medio cum Duumviris istis tuis, & vestra isthac sapientia superciliosa. Sed agendum res singulas commeditatur. Principem lineolam statim loco movet; alio transfert. Magnum hoc quiddam est, quod initio mollitur. Nunc aliquid audio. Etiam ne id cum Duumviris? Hoc si vobis libet, at domino non libuit, qui in solo suo rem ibi quam esse vult, ubi libet.

In hunc Familiæ tumulum.

Hæc reprehenduntur. Tumulus nimirum improbat. De uno enim, inquit, dumtaxat dicitur, qui humatur, non de pluribus. Sepulchrum placet, aut Monumentum. Displicet familia, quod non Patris familias, sed gentis, ac domus Sepulchrum significatur, si sola vox, ac simpliciter esseratur. Ponenda hæc erant.

In suum, suorumque Sepulchrum.

Recte, mi homo, & ut te decet, magistrum summum, latinæque linguæ peritissimum, & Romanæ antiquitatis. Sed quid, si ego ostendo, inepta, ac futilia esse hæc omnia? Si te garrire cum Il. viris? Si urbem ipsam, in qua te vivere, & esse dicis, non adhuc noris? Si non veteris imperii, si non legum, si non linguæ vim ac dignitatem? Tumulus de uno dumtaxat dicitur? At ego apud Livium Dec. III. lib. VI. Cap. XIX. dici de pluribus invenio. Ejus verba hæc sunt: *Præcæque simul Epirotas sunt, ut qui suorum in acie cecidissent, eos uno tumulo conteregeant, adhiberentque humatis simul.* Ovidius etiam lib. IV. Tristium Eleg. III. vers. XLV. de pluribus accipit; sic enim habet:

Et cinis in tumulo positus jacuisse avito.

Id ipsam invenio apud Vellejum lib. II. Cap. CIX. Sic enim scribit: *Vari corpus semivivum hostilis laceraverat feritas. Caput ejus abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitii tamen tumuli sepultura honoratum est.* Satin hoc? Videtur ne nunc tibi tumulus de uno dumtaxat dici? Quid, si hoc etiam ostendo, non de aliquot modo hominum numero dici, sed de legionibus integris, & universo militum exercitu? Atque id quidem tradit Tacitus lib. II. annalium Cap. VII. *Germanicus, inquit, cum tumulum Variæ legionibus structum, & veterem avam Druso stram, disjectam invenisset, restituit avam; tumulum iterare baud visum.*

Hæc nunc, si potes. Utque magis habeas, verba etiam addo in hanc rem inscriptionis in agro Vaticano inventæ, quæ leguntur apud Pitiscum. Ea sunt ejusmodi:

Palemon. L. L. L. D. F. Gram
Veiat. atque. Rbet. sibi
et. Tuberonia. Contuberna
li. Fœmina. obsequiissima
atque. Benevolent. lapideum
struxit. Tumulum

Intelligis nunc, an de uno dumtaxat tumulus dicitur? Sed quid jam, si apud Veterum neminem invenissem? flagitium ne ingens tibi videretur, si quod de uno si dixere, ego leni, ac naturali quadam ratione dicere de pluribus, hominumque plurium in uno, eodemque loco humanitatem, tumulum, non sepulchrum appellarem? Cave hoc credas, aut dicas. Linguam enim non ditem admodum, & copiosam tua hac sava verborum proprietate inopem nobis omnino efficeret. Rei Nauticæ, judicariæ, sacra, familiaris, agrariæ, funebri, militaris, & sexcentorum generum istiusmodi vocabula jacerent, si qua veteres dumtaxat sententia acceperet, nos acciperemus. Ut mittam cætera, ac de postremo solum genere pauca dicam, non legiones, non imperatores, non tribunos, non tormenta, non ære dirutos, non ferentarios, non evocatos, non alia plurima haberemus, siquidem qua omnino apud eos sunt significatione, apud nos non sunt. His tamen utimur, prædentem quandam rerum, ac verborum securi similitudinem. Mirum est, quod dicis de monumento. Videre, quamvis ejus sit, ac potestas, non intelligere. At quæ Florentinus docet in lege 42. De Religiosis, & sumptibus funerum habet. *Monumentum, inquit, generaliter res est memoria in posterum prodita; in quam si corpus, vel reliquæ inferantur, fiet Sepulchrum; si vero nihil eorum, erit monumentum, memoria causa factum, quod Greci Κοινον appellant.* Hæc si vera sunt, quæ publicis legum tabulis Populi Romani sunt consignata, quomodo locus, in quem Danielis corpus illatum est, monumentum appellari unquam potest? Hæc ipsa, quæ Florentinus tradit, Festus etiam, & Cicero docuerunt. Festus enim hæc habet: *Monumentum est quicquid ob memoriam alicujus factum est, ut sana, porticus, scripta, carmina.* Cicero etiam in Sextiana sic loquitur: *L. Opimius, cujus Monumentum celebrissimum in foro, Sepulchrum deservissimum in litore Dyrachino relictum est.* In Miloniana etiam ita scribit: *Milonis vos amici monumenta retinebitis, Corporis in Italia nullum Sepulchrum esse patiuntur.* Monumentum itaque pro tumulo non recte ponitur. At satius erat, Sepulchrum appellare; immo, ut tu dicis, Sepulchri vox omnino adhibenda erat. Quoniam tu mihi fluctus in simpulo, ut dicitur, excitare voluisti; ego eos tibi excitabo in mari Ægeo. Tu homo es, quantum perspicio, qui in rerum natura ipsa, ac pura puta proprietate Vocabulorum manere vis, nec latum inde unquam discedere. Satin laudo? Cur igitur hoc ais, pro tumulo Sepulchrum adhibendum fuisse? Tumulus quid est? quid est Sepulchrum? Tumulus proprie Scrobs est, in quam conditur Cadaver, humo desuper agesta: Sepulchrum autem ædificata quædam sunt, in qua præter locum, in quem Cadaver inferebatur, habitatiunculae erant constituta, Custodum gratia; quam in rem sane Veteres utebantur Servorum opera, ut traditur in lege Servus ff. de alimentis legatis. Fuisse istiusmodi Veterum Sepulchra, plurimi testantur. Julium Sabinum, Xiphilinus tradit, præliis aliquot victum, rus abiisse, ibique in Sepulchro, quod ipse antea sub terram ædificarat, annos novem cum uxore delituisse, atque ex ea etiam eodem loco filios duos sustulisse. Democritus phi-

lophus, ut apud Lucianum est, solitudinis, ac studiosior causa, sepulchra frequentasse, ibique commoratus dies, noctesque dicitur. Id ipsum de Christianis D. Chrysofomus memoris prodidit, homilia XL. ad Populum; eos nimirum, faventibus Imperatoribus, in Sepulchra aufugisse, ibique diu latasse. Quam multa etiam Petronius tradit de muliere illa Ephesina, quæ, viro mortuo, in ejus sepulchro vixisse, deinde etiam cadaverum Custodi eodem loco nupsisse dicitur? Huc spectant Ulpiani verba in lege III. De Sepulchro Violato: *Si quis, inquit, in eo, nempe sepulchro, dolo malo habitaverit, edificaveritve aliud, quam de Sepulchri Causa factum sit, habuerit.* Horum sepulchrorum imaginem quandam Sepulchrum refert, quod est ad D. Antonii hic Patavii, quod gentilitium est gentis Papafavia. Apparet ex his, Sepulchri voce, si proprie sumatur, Sepulchra nostrorum temporum non omnino significari; Nostra enim veterum illis habitatiunculis carent, & custodibus, suntque magis scrobes lapideæ quædam, seu tumuli, quam Sepulchra. Id cum ita sit, restior vox tumulus omnino erit, quam Sepulchrum; siquidem ad antiquorum tumulos propius Sepulchra nostra accedunt, quam ad illorum Sepulchra. Quid nunc itaque tibi videtur, homo proprietatum retinentissime? Sed ego tamen, qui istiusmodi subtilitates intrepide contempno, rerumque, & vocabulorum similitudines quasdam, & translationes non audaces sequor, conditoria cadaverum, siquidem cadavera illata sunt, tumulos appello, vel Sepulchra, istemque nominibus omnes vulgo utuntur. At non recte positum est, inquit, familie vocabulum. Ita ne vero? Dii boni, quocum ego homine collator, qui quæ prima sunt, & hominibus semidoctis nota etiam, unus ipse ignoret! De tota re igitur brevi disceptemus. Duæ res sunt gens, & familia, quæ ita inter se differunt, ut species a genere; ac prior quidem nomine, cognominis posterior indicatur. Exemplo apposito Cornelii Scipionis res magis apparebit, quorum altero Cornelia gens tota, patricia, ac plebeja, significatur, altero familia. Cornelii ab Antonii, Æmylii, Tullii, Claudii, Porcii, cæterisque romanis gentibus nomine differunt; Cognomine Scipiones ab iis familiis, quæ plurimæ, veluti a fonte uno, a Cornelia gente prodierunt, Cossis nimirum, Maluginensibus, Lentulis, Dolabellis, Syllis, aliisque. Atque ab his quidem Cornelius Scipio ea, quæ dixi, ratione distingui consuevit; a fratre autem Lucio Africano, Publii prænomine, & agnomine Africani. Fuere Cornelia genti Sepulchra gentilitia; fuere Scipionibus familiaria. In illa quisvis ex gente, in hæc quisvis ex familia illatus est; summaque religione jura hæc Sepulchrorum a veteribus sunt custodita. Itaque huc pertinent, quæ Cicero Scribit lib. II. de legibus. *Jam tanta, inquit, religio est Sepulchrorum, ut extra sacra, & gentem inservit fas negent esse; idque apud Majores nostros A. Torquatus in gente Popillia judicavit.* Cajus etiam familiaria Sepulchra commemorat; addit hereditaria. Atque illa quidem ait esse, quæ sibi, & familiae constituerentur; hæc, quæ sibi, & hæreditibus. Ejus verba hæc sunt in lege V. De religiosis & sumptibus funerum. *Familiaria Sepulchra dicuntur, quæ sibi, & familiae constituit; hereditaria autem, quæ quis sibi, hæreditibusque suis constituit.*

Nunc quasi e diverticulo ad rem, de qua agitur, redeamus. Sepulchra sunt Patavii gentilitia, quæ totius gentis sunt, quæ dicitur Papafavia. Sunt etiam familiaria, singularum familiarum propria, quæ sunt ex ea gente. Gentiles in prioribus, qui volunt, condi solent; Qui volunt ex

familia, in posterioribus, in suo quisque. Familia est una Papafavia, quæ ad pontem est, qui D. Laurentii dicitur, magna, ac nobilis, ut cæteræ. Ea Jacobi Papafavii est, Bartholomæi filii. Habet illa in æde D. Augustini Sepulchrum familiare. In hoc Jacobus condit Danielem. Ea potro causa recipit, quod optime de se meritus sit. Vivens enim, aliis posthabitis conditionibus amplissimis, nata unica, quam habebat, data filio, junxit affinitatem; moriens deinde hæreditate auxit. Hominem igitur tam sibi carum, qui sacra propemodum sua, & familiam Antoniam cum Papafavia commiscuerant, Jacobus in Sepulchrum recipit familiare; tumulumque familiae appellat, ne in gentilitium ullum intulisse videretur. En itaque, cur illa dicantur.

In hunc Familiæ Tumulum.

Cur illa etiam:

Viventem morientem optime de se meritus.

Cur illa denique:

Recipit condiditque.

Porro ob eam causam Jacobo adjectus patet Bartholomæus, quod duo Jacobi sunt Papafavii, qui patre distinguuntur. Ne igitur conditus in alterius familiari putaretur, Bartholomæus additus; non adjectus Danieli, quod causa nulla addendi esset. Intelligis nunc, quam putida, ac vana illa tua sint, & inficitia puerilis plena: *Familia, nisi quippiam addatur, gentis Sepulchrum indicat, non Patrisfamilias.* Jacobus Bartholomæi filius quidnam est? Sed cave, ne te deinceps amplius decipiant, familia, & Sepulchrum familie, seu familiare; Familia enim sola potestates multas habet, trahique ad multa potest; Sepulchrum familie, seu familiare non potest. Semper enim hoc si vocabulum adhibeatur, eo adhibicum censeatur, ut a gentilitio distinguitur. Quæ cum ita sint, præclara illa tua tibi habe: *In suum suorumque Sepulchrum.* Te enim digna sunt, eoque homine, qui quinam sui sint, quæque suorum jura, juris civilis experts, nequaquam intelligit. Vericulos vix probas:

Generis nobilitate morumque suavitate præstantissimum.

Titulo res, inquit, non est digna Sepulchri. Duo perfringere in his videre, laudem ipsam, verba deinde, quibus ea essetur. Quid igitur? Exigua ne illa est, an immodica? Immodicam non dices, quippe quæ rebus paucissimis, duabus nimirum dumtaxat concludatur, genere & virtute. Exiguam appellare non puto te audere. Neque enim illa est laus tenuis, neque vulgaris, quæ homini tribuitur ab animo & fortuna. Si ex his es, qui nomina sonantia; qui titulos magnificos; qui buccas sexcentas velis indi lapidi, ingenium iis oblectare potes, quæ superioribus annis magni quidam viri & Romæ, & hic Patavi conscripsere. Nobis iusta brevitatis, quæ propria est lapidum, una placet. Verba non probas? Quid ergo? homines nobilitate præstantes non dicimus? non virtute & moribus, qui nihil sunt aliud, quam virtus ipsa, eaque ipsa suavitas & jucunditas, quam virtus, veluti odorem quemdam efflat? Pueri, inquit, suaves dicuntur, de quæ iis solis morum suavitas dicitur. O puer! quid si non de pueris modo, qui fere sunt insipientes, sed de sapientibus etiam ipsis, qui plerunque senes? Tullius in Lælio præcepta multa dat de amicitia, quæ utinam teneres. In his magna illa sunt, quæ tradit de viro bono, quem appellat sapientem. Hæc cum in amicitia tenere vult:

vult: ne quid fictum sit, neve simulatum. Magis esse ingenuum vel aperte odisse, quam vultu tegere sentium animi. Deinde ei homini morum suavitatem dat. Hæc autem sunt illius verba: *est viri boni, quem eundem sapientem licet dicere; hæc duo tenere in amicitia; primum, ne quid fictum sit, neve simulatum; apertum enim vel odisse, magis ingenuum est, quam fronte occultare sententiam. Deinde non solum ab aliquo oblatas criminationes depellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum, semper aliquid existimantem ab amico esse violatum.* Audi nunc, quæ sequuntur: *Accedat hæc suavitatis quedam oportet sermorum, atque morum baudquaquam mediocriter condimentum amicitie.* Pertinent hæc ad pueros dumtaxat? Cicero in Cornelianæ comes homines, benignos, faciles, suaves homines appellat. Appium Pulcrum in epistola ad eum missa, sibi illum eorum esse dicit propter multas suavitatis ingenii. Erat tum autem pulcher non puer, sed Imperator, ac Dux exercituum Populi Romani. Quomodo hinc effugies? Dices, te loqui de lapidibus. Quid ergo? Lapis ne magis idoneus tibi videbitur, quam sequare; an Tullius parens latine lingue? quamquam ipse videris, an sequare.

Irruis deinde in eum locum:

Qui annos natus XLVI. VIII. Calendas Quinctias obiit.

Ridicula hæc esse, ais. Ita ne vero? Sed quid per Deum his verbis risu dignum putas? paucissimis indicari annos, quos vixit Daniel, diemque ipsum, quo mortuus est? Dies obitus, inquis, aut mensis fuit cum anno, quo obiit, coniungendus. Non est igitur conjunctus? O lapis! Quo anno condidit Jacobus Danielem? Anno a Christo nato MDCCXXXV. Diem igitur obiit eo anno, VIII. Cal. Quinct. Junctæ hæc ne sunt? Sed tu, nisi res ipsas videas de invicem in loco contingentes, coniungi non putas; idque ignoras, multa, qui scribit, coniungere solere; plura qui legit, oportere.

Venio nunc ad Bagia illa, quæ obijcis de affinitate. Pudenda, probrî plena, & turpitudinis esse, dicit. Non grammaticæ, non juris civilis, non Pontificii, non artis denique ullius liberalis vel summa initia attingisse, ais, qui illa scripsit.

Ob junctam filie cum filio affinitatem.

His minime intelligi, utrius sit filius, & filia: Fratri videri inde posse sororem nupsisse: non posse affinitatem pro matrimonio sumi: non decere denique hoc dicendi genus Ecclesiæ ullam monumentum. Etiam ne amplius? est ne illum aliud improbitatis virus, quod evomas? O hominum ingenia fæva & raticæ, qui nihil agere, nihil dicere, aut scribere possunt, nisi in his omnibus acerbitates, & quasi venena quedam contumeliam, & maledictorum appareant! Sed heus tu, quisquis homo es adeo intemperans? putas ne, me tam inopem verborum, ut tibi nesciam maledicere, si velim? Quæ hæc est rabies canina, & fera? Sed mei ego similis, non tui ero. Ordine, ac brevi ad ea, quæ obijcis, respondebo, ex quibus intelliges, nihil opus fuisse, te tantum hunc laborem fumere; hominesque mittere huc illuc, qui mortales omnes de hac remonerent. Principio igitur sic statuo, affinitatem duobus modis sumi, pro effectu nempe nuptiarum, & pro nuptiis ipsis, seu matrimonio. Id nisi certissimis testimoniis ostendero, nulla sit

mibi fides. De singulis singillatim videamus; sed prius de priori. Cum nuptiæ inveniuntur, duo hæc continuo fiunt, ut vir & uxor lege persona una censeantur; deinde etiam, ut propinquitas tota, seu cognatio uxoris fiat affinis viro; contra etiam omnis cognatio, & propinquitas viri fiat affinis uxori. Ea res proprio vocabulo a Jurisconsultis, latinisque Scriptoribus affinitas appellatur, quod fines duarum propinquitatum per nuptias copulantur. Est igitur affinitas omnino effectus nuptiarum, qui, simul ac nuptiæ inveniuntur, necessario progignitur; nec affinitas ullo modo esse legibus Romani potest sine nuptiis, nec nuptiæ sine affinitate. Affinitas autem, quæ inde oritur, nihil est aliud, quam copula, & nexus duarum propinquitatum, viri scilicet, & uxoris. Qui itaque nuptiis junguntur, jungere dicuntur affinitatem; quæque affinitatem jungunt, iungi illi nuptiis dicuntur. Genus alterutrum cum ad illi nuptiis significat, quod alterum sine haberetur, utrumque significat, quod alterum sine altero consistere nullo modo possit. Patem hanc totam de effectu Modestinus ostendit in lege LIII. de gradibus affinitatis. Verba eius hæc sunt: *Affines, inquit, sunt viri, & uxoris cognati, distanti ab eo, quod duo cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque coniungenda affinitatis causa fit ex nuptiis.* Hic genera illa dicendi apud veteres scriptores, Livium præsertim, & Ciceronem; jungere, conjugere, coire affinitatem, quibus non tam effectum finium, duarumque propinquitatum copulandarum indicantur, affinitatem nempe, quam ejus originem & causam efficientem, nimirum connubium; quod ostendi altera non posse sine altera. Cum igitur veteres Jurisconsulti tantam hanc necessitudinem, & quasi constructum vinculum cernerent, quod habet affinitas cum nuptiis, sæpe hoc fecerunt, ut affinitatem pro connubio ipso fumerent; quod ad id pertinet, de quo secundo loco dicere institueram. Ea res ne tam aspera, ac dura tibi videretur, quam tibi videretur, eam ego tibi, veluti contrafectando, molliorem reddam. Non hoc loco diutius in his, quæ tradit Myningerus, magnus Rontanarum legum interpret, immorabor, cujus hæc sunt verba de affinitate, & affinitate lib. I. Institutionum: *Plerumque maritus, & uxor affines dicuntur; nam & affinitas ipsa pro matrimonio in verbum accipitur.* Ea brevi afferam, quæ Veteres de hac sententia docuerunt.

Veteres igitur Romani disciplinam quandam, ritusque, & ceremonias connubii inveniunt, ac dirimendi in moribus tæuerunt. De inveniendi ratione non est hic locus; de eo dirimendo pauca pro tempore dicam. Si conditio itaque viri, vel uxoris, nempe matrimonium ipsum, minus deinde placeret, eam renuntiariis emendarent. Inde repudiorum jura, ac divortiorum profecta sunt. Porro cum renuntiabant, sæpe vocabulo matrimonii usi sunt, cui renuntiabant, aliquando affinitatis. De matrimonio res certa est; de affinitate locus est Paulli J. C. lib. V. ad Plautium, nempe in lege 38. de usuris. Ejus verba hæc sunt: *Videamus generatim, quando in actione, quæ est in personam etiam, veniant fructus. Et quidem si fundus ob rem datus sit, veluti dotis causa, & renunciata sit affinitas, fructus quoque restituendi sunt.* Romani Imperatores in libris Codicis nunquam dubitarunt, affinitatem fumere pro matrimonio; uxores etiam ipsas, affines appellare. Gordianus in lege V. Cod. de hæredibus instituendis hæc habet: *Non ideo minus uxor tua jure hæres videtur instituta, quod non uxor, sed affinis testamentum nominata est.* Constantinus in lege XV. Cod. de donationibus ante nuptias hæc scribit:

scribit: *Cum veterum sententia displiceat, quæ donationes in sponsam, nuptiis quoque non secutus, decrevit valere; ea, quæ largiendi animo inter sponsos, & sponsas jure celebrantur, redigi ad hujusmodi conditiones jubemus, ut sine affinitatis eorum causa, sine non ita, vel in potestate patris degentes, vel ullo modo proprii juris constituti.* Atque, ut magis mirere (non enim dubito, quin hæc omnia tibi nova videantur) affinitatem Romani Jurisconsulti, latinæ linguae, rerumque Romanarum peritissimi, pro sponsalibus etiam ipsis acciperent. Audi Neratium lib. II. membranarum, nempe in lege 8. de conditione causa data, hæc scribentem: *Quod Servius in lib. de dotibus scripsit: Si inter eas personas, quarum altera nondum justam ætatem habeat, nuptiæ factæ sint, quod dotis nomine interim datum sit, repeti posse; sic intelligendum est, ut si divortium intercesserit prius, quam utraque persona justam ætatem habeat, sit ejus pecunie repetitio; donec autem in eodem habitu matrimonii permanent, non magis id repeti possit, quam quod sponsa sponso dotis nomine dederit, donec maneat inter eos affinitas.* Ex his igitur apparet, affinitatem, sive pro effectu matrimonii accipiat, sive pro matrimonio ipso, recte junctam dici; imperitumque esse te juris civilis, eorumque, quæ latini scriptores tradiderunt, cum contendis, cumque buccis plenis ais, futilem hominem, puerumque omnino esse, qui sumat affinitatem pro connubio.

Non decet, inquis, dicendi id genus Ecclesiæ ullum monumentum. Putasne igitur vocabulum affinitatis repudiari a Pontificibus, quæ sunt imbuti omnes illorum libri? An ob eam rem rejici oportere, quod Paulus, severus ille diceandi, scribendique magister, pro matrimonio sumserit? Non video, quid dicere possis. Ais: non intelligitur, utrius sit filius, & filia. Fratri, ais, videri posse uxorem nupsisse. Certè Athenis sumus, iisque temporibus, quibus Elpinice Cimoni fratri nubere potuit. Qui versiculum legent, continuo existimabant, morem hunc Patavium, velut bonam mercem, de Græcia advectum. Ne te de hac re tantopere macera, mi homo. Nostri homines, si te unum dexas, non sunt ita suspicaces. Illa tibi velim in mentem venire, quæ Lucilius, ut est apud Ciceronem lib. I. de finibus, agebat, Tarentinis suis scribere se, Siculis, Consentanis, non Romanis. Qui inscriptionem consecit, eam Patavinis, Venetis, Foro-Julienis consecit, quibus sunt intelligentibus notæ voces; qui nempe id norunt, utrius filius, & filia sint. De hominibus Romanis, dispeream, si quicquam unquam suspicatus est. Tu tamen in hac re ita pugnas, quasi in ea agantur Italia fortuna. Quid igitur? Si tantopere id cupis edoceri, (nisi cavillari, & clanculum mordere ob alia vis) Daniel ne is fuerit, qui filiam nupti dederit; cur non sine ira ulla, ac rabie verborum feriem, sensumque attendis? Quis Danielem recipit in tumultum familiarem? Jacobus. Quæ causa autem recipit? Quod filia junxerit affinitatem; seu, quod idem est, ob junctam filia affinitatem. Vis ne etiam amplius? Inspice tabulas dotales; pete ab hominibus. At factus erat, nomina & cognomina pronuntiare. Jam obtundis. Putas ne, hæc, qui titulum scripsit, non vidisse? sed gerendus mos fuit nobilibus adolescentibus, Francico nempe viro, & Catharinæ uxori. Ominosam rem ii putarunt, si nomina, aut cognomina in titulo apparerent. Pete ab his, vera ne hæc sint. Sed nimis jam verborum de re futili, & puerili. Id nuac est relinqui, ut quæ extremo loco obijcis, paucissimis convellam.

Jerry Tomi VP.

Duo opponis. Alterum est, si junctæ nuptiæ dicantur inter affines, eos esse una, ac vivere nullo modo posse; alterum autem, quo dicendi genus reprehendis, anno a Christo nato MDCCXXXV. Puder, mi Peregrine, in nugis iustitiam, ac deliramentis diutius versari. Dispeream, si quicquam a quoquam ineptius dici potest: sed ad accusatorem redeamus. Puras ne igitur tradi in titulo, affinem nupsisse affini? Habere verba illa hanc Sententiam: *ob junctam filie cum filio affinitatem?* Nunc video vim ingenii. Sic ratiocinaris. In Tumulo ita est: *ob junctam affinitatem.* Nempe id est: affinitates sunt duæ copulatae: affinis igitur affini omnino nubit. Ferri id non potest. Jam invidio Magistro tuo, qui te tanta hac mentis felicitate præditum nihil sapere docuit. Sed, quæso, audi hominem amicissime monentem. Cur non potius sic simpliciter, & pure? Junctæ est affinitas: junctæ sunt igitur nuptiæ, non sororis cum fratre, sed extraneæ cum adolescente extraneo. Nam sororis cum fratre nostris moribus non nuptiæ, non connubium, non matrimonium, quæ justa sunt nomina, essent, fed infamis consecutudo, & turpe contubernium. Se ea tibi ratio omnino excidit, quod nunquam existimaris, sumi affinitatem posse aut pro sponsalibus, aut pro connubio; aut, cum pro effectu nuptiarum fumitur, ita sumi, ut una simul cum finium duorum copula nuptiæ significentur.

At non rectum est illud, inquis.

Anno a Christo nato MDCCXXXV.

Qui hoc utitur, annos quatuor addat, necesse est. Rectius erat: *anno Christi: anno Reparationis: anno ære vulgaris.* Nempe hæc te Dekerius, Bacherius, Ufferius, Petavius, quorum commentariis puras nos carere, ea non legisse. Nimirum te magis circumspicis, cum hæc jactas. Quasi is sis, quis princeps subtilia, atque acuta hæc querendo investigaris, & non ab illis sumeris. Sed nolo hic ego aut lites Deckerio, cæterisque ferere, quod alii faciunt, aut tibi etiam illa referant, & camarinam illa Tiberianam movere. Id de te peto, probum ne existimes dicendi genus, antique Christiani rectam notam, quæ Ecclesiæ nunc universa utitur? quam retinere Pontifices? quam vulgo omnes omnino? Qui quamquam norint, quæ magni viri tradant, qui Chronologi appellantur, Dionysianam tamen rationem adhuc sequuntur? Non puro, te ita esse stolidum, ac levem, ut rejicias. Quæ si in illis probas, cur deinde in tumulto condemnas? Quam multa a veteribus traduntur de anno illo, quo condita urbs Roma esse dicitur, quem alio alium esse ajunt! Suscepta tamen semel a populo sententia, fortasse non verior, retinetur, ne rerum permixtiones ullæ fiant; quibus in rebus docti homines scientiam sibi reservare, populo opinionem relinquere consueverunt. Id idipsum de anni initii Christiani Pontifices faciendum putarunt, quorum est optima, & semper fuit ratio. Quæ tu suades de reparatione, & vulgari æra, tibi habet; tibi que communia sint cum viris illis, quos magnos criticos, scriptoresque extimos appellas. Ei, qui tumultum consecit, ære sententia quidem placuit, verbum non placuit. Atque hæc quidem hæctenus de inscriptione, cujus si me auctorem omnino esse profitear, profecto mentiar. Si non probasse, si non cerulam, quod dici solet, aliquam addidisse, inficior, non jure inficior, ut hinc appareat, barbarum ac nugacem esse hominem, qui illa scripserit: *Sicut dicitur D. Arrighius Lector publicus.*

Id nunc, Antoni, fautor, & exornator amicorum tuorum, etiam atque etiam rogo, ut nostra

V r v.

hæc